Hymnus.

LUcis creâtor óptime,
Lucem diêrum próferens,
Primórdiis lucis novæ
Mundi parans originem.
Qui manè junctum vésperi
Diem vocári præcipis:
Illábitur tetrum chaos,
Audi preces cum flétibus.
Ne mens gravâta crimine
Vitæ sit exul múnere,
Dum nil perenne cógitat,
Seséque culpis illigat.
Cæléste pulset óstium:
Vitâle tollat præmium:
Vitêmus omne nóxium:
Purgêmus omne péssimum.
Præsta Pater piisime,
Patrîque compar Unice,
Cum Spiritu Paráclito,
Regnans per omne sæculum. Amen.

℣. Dirigâtur Dómine orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Prædictus Hymnus cum suo ℣. dicitur à Dominica tértia post Pentecósten usque ad Advéntum, Capitulum verò prædictum dicitur in eisdem Domínicis post Pentecósten. Dicitur étiam in feriáli Officio ab Octáva Pentecóstes usque ad Advéntum. Similiter & Versículi; Antiphonæ autem cum Psalmis semper dicúntur ùt suprà, quandò fit Officium de Dominica.

Canticum B. Mariæ virginis.

Lucæ 1. e

MAgníficat * ánima mea Dóminum:
Et exultávit spíritus meus * in Deo salutári meo.
Quia respéxit humilitâtem ancíllæ suæ: * ecce enim ex hoc beâtam me dicent omnes generatiónes.
Quia ſecit mihi magna qui potens est: * & sanctum nomen ejus.
Et misericórdia ejus à progenie in progenies * timéntibus eum.
Fecit poténtiam in bráchio suo: * dispérsit supérbos mente cordis sui.
Depósuit poténtes de sede,* & exaltávit húmiles.
Esuriéntes implêvit bonis: * & divites dimisit inánes.
Suscêpit Israël púerum suum, * recordâtus misericórdiæ suæ.
Sicut locûtus est ad patres nostros, * Abraham, & sémini ejus in sæcula.
Glória Patri, & Filio.

Deindè dicitur Antiphona, & Oratio própria.

FERIA SECUNDA
Ad Vesperas.

Antiphona. Inclinâvit.

Psalmus 114.

DIléxi quóniam exáudiet Dóminus * vocem orationis meæ.
Quia inclinâvit aurem suam mihi: * & in diêbus meis invocâbo.
Circumdedérunt me dolóres mortis: * & pericula inférni invenérunt me.
Tribulatiônem & dolôrem invéni: * & nomen Dómini invocávi.
O Dómine libera ánimam meam: * miséricors Dóminus, & justus, & Deus noster miserêtur.
Custódiens párvulos Dóminus: * humiliâtus sum, & liberâvit me.
Convértere ánima mea in réquiem tuam: * quia Dóminus beneſécit tibi.
Quia erípuit ánimam meam de morte: * óculos meos à lácrymis, pedes meos à lapsu.
Placêbo Dómino * in regiòne vivòrum.

Antiphona. Inclinâvit Dóminus aurem suam mihi.

Antiphona. Crédidi.

Psalmus 115.

CRédidi, propter quod locûtus sum: * ego autem humiliâtus sum nimis.
Ego dixi in excéssu meo: * Omnis homo mendax.
Quid retríbuam Dómino, * pro ómnibus, quæ retríbuit mihi?
Cálicem salutâris accípiam: * & nomen Dómini invocâbo.
Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus: * prætiôsa in conspéctu Dómini mors sanctòrum ejus.
O Dómine, quia ego servus tuus: * ego servus tuus, & filius ancíllæ tuæ.
Dirupisti víncula mea: * tibi sacrificâbo hóstiam laudis, & nomen Dómini invocabo.
Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus: * in átriis domus Dómini, in médio tui Jerúsalem.

Antiphona. Crédidi, propter quod locûtus sum.

Antiphona. Laudâte.

Psalmus 116.

LAudâte Dóminum omnes Gentes: * laudâte eum omnes pópuli:
Quóniam confirmâta est super nos misericórdia ejus: * & véritas Dómini manet in ætérnum.

Antiphona. Laudâte Dóminum omnes Gentes.

Antiphona. Clamavi.

Canticum Gráduum.
Psalmus 119.

AD Dóminum cum tribulârer clamávi: * & exaudîvit me.
Dómine libera ánimam meam à lábiis iníquis, * & à lingua dolósa.
Quid detur tibi, aut quid apponâtur tibi * ad linguam dolôsam?

Sagíttæ poténtis acútæ, * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolâtus meus prolongâtus est, habitávi cum habitántibus Cedar: * multùm íncola fuit ánima mea.

Cum his, qui odérunt pacem, eram pacíficus: * cum loquêbar illis, impugnábant me gratis.

Antiphona. Clamávi, & exaudìvit me.

Antiphona. Undè véniet.

Psalmus 120.

Levávi óculos meos in montes, * undè véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómino, * qui fecit cælum & terram.

Non det in commotiònem pedem tuum: * neque dormìtet qui custôdit te.

Ecce non dormitâbit, neque dórmiet, * qui custôdit Israël.

Dóminus custôdit te, Dóminus protéctio tua * super manum déxteram tuam.

Per diem sol non uret te: * neque luna per noctem.

Dóminus custôdit te ab omni malo: * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat introìtum tuum, & éxitum tuum * ex hoc nunc, & usque in sæculum.

Antiphona. Undè véniet auxílium mihi.

Capitulum. 2. Cor. 1.

Benedíctus Deus, & Pater Dómini nostri Jesu Christi, Pater misericordiàrum, & Deus totius consolatiònis, qui consolâtur nos in omni tribulatiòne nostra.

Hymnus.

Imménse Cæli Cónditor
Qui mixta ne confúnderent,
Aquæ fluénta dividens,
Cælum dedisti límitem.
Firmans locum cæléstibus,
Simúlque terræ rívulis:
Ut unda flammas témperet,
Terræ solum ne díssipent.
Infúnde nunc, Piíssime,
Donum perénnis grátiæ:
Fràudis novæ ne cásibus
Nos error átterat vetus.
Lucem Fides adáugeat:
Sic lúminis jubar ferat:
Hæc vana cuncta próterat:
Hanc falsa nulla cómprimant.
Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum.
Amen.

℣. Dirigâtur Dómine orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magníficat, Antiphona. Magníficat ánima mea Dóminum, quia respéxit Deus humilitátem meam.

In Fériis Quátuor Témporum post Antiphonam ad Magnificat dicúntur sequéntes Preces flexis génibus, si dicendæ sint.

Kyrie eléïson. Christe eléïson. Kyrie eléïson. Pater noster, totum dícitur clara voce. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiònem. ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Ego dixi, Dómine miserêre mei. ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. ℣. Convértere Dómine úsquequò. ℟. Et deprecábilis esto super servos tuos. ℣. Fiat misericórdia tua Dómine super nos. ℟. Quemádmodùm sperávimus in te. ℣. Sacerdótes tui induántur justítiam. ℟. Et sancti tui exúltent. ℣. Dómine salvum fac Regem. ℟. Et exáudi nos in die, qua invocavérimus te. ℣. Salvum fac pópulum tuum Dómine, & bénedic hereditáti tuæ. ℟. Et rege eos, & extólle illos usque in ætérnum. ℣. Meménto congregatiònis tuæ. ℟. Quam possedísti ab inítio. ℣. Fiat pax in virtûte tua. ℟. Et abundántia in túrribus tuis. ℣. Orémus pro fidélibus defúnctis. ℟. Réquiem ætérnam dona eis Dómine, & lux perpétua lúceat eis. ℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen. ℣. Pro frátribus nostris absêntibus. ℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperántes in te. ℣. Pro afflíctis & captivis. ℟. Líbera eos Deus Israël ex ómnibus tribulatiónibus suis. ℣. Mitte eis Dómine auxílium de sancto. ℟. Et de Sion tuêre eos. ℣. Dómine exáudi oratiònem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Deinde dicitur Psalmus Miserêre. 59. & in fine Glória Patri.

Finito Psalmo dicitur ℣. Dómine Deus virtûtum convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, & salvi érimus. ℣. Exúrge Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. ℣. Dómine exáudi oratiônem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orátio, quando própria non assignátur, dícitur de Domínica præcedénti ùt habétur in Próprio de Témpore.

Antiphonæ cum Psalmis semper dicúntur ad Vésperas in Officio feriali, ùt hic in Psaltério. Hymni verò ab Octáva Epiphaniæ usque ad Advéntum, Antiphonæ autem ad Magnificat eisdem tempóribus.